

Resp. est fallacia Divisionis vel etiam secundum quid Elenchus (sæpe unum Exemplum ad plures fallacias refertur) quia Angeli non simpliciter gaudent super peccatore, sed super peccatore poenitente.

2. *Omnis Scriptura θεόπνευστος est sufficiens ad salutem, 2. Tim. 3. 16.*

*Epistola ad Philemonem est Scriptura θεόπνευστος:*

E. *Epistola ad Philemonem est sufficiens ad salutem.*

Resp. Sunt 4. termini. Particula enim *omnis* est pars Subjecti Majoris, vel accipitur *collectivè*, ita ut omnes libri Biblici sumantur. In Minore autem particula *omnis*, utpote pars Prædicati, omittitur.

3. *Quod est propter fornicationem, illud est malum.*

*Conjugium est propter fornicationem. 1.*

*Cor. 7. v. 2.*

E. *Conjugium est malum.*

Resp. Est eadem fallacia. Paulus enim addit *vitandam*, quod in minore falso omittitur. Andreas Prückner. *de artificio disput. tract. 3. cap. 1. art. 5.*